



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

X. Ianvarii [i.e. Febrvarii]. S. Scholastica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SCHOLASTICA virgo nobili loco Nursiæ nata, S. Benedicti Abbatis soror, fratris exemplum secuta, vitam monasticam apud M. Casinum, in loco, qui Plumbariola dicebatur, duxit, orationibus, ieiuniis, vigiliis, piisque meditationibus addicta. Semel in anno, quoad vixit, in locum sub dicto monte, quod & Benedictus aliquot monachis comitatus descendere, venire consueverat. Postremo anno, cum de more Scholastica & Benedictus in eundem locum convenissent, diemque de more summam cum spiritus exultatione transigerent, Scholastica Benedictum ad Monasterium iam redire parantem, ut noctem illam apud se faceret, summopere rogat. Cum autem ille non annueret, quod nefas extra cœnobium noctu morari esse diceret, illa Deum precata est, ut quod frater negarat, obtineret: ac illico coruscare, fulgurareque, & vehementer pluere cepit, sicque Benedictus ad Scholasticam redire coactus, noctem illam de sacris rebus loquens cum sorore duxit insomnem. Mane Benedictus ob id, quod acciderat, sororem reprehendit, quæ se à Christo, quod ab eo obtinere non potuerat, petiisse, & impetrasse non negavit. Non multo post, cum S. Benedictus oraret, animam Scholasticæ instar columbæ candidæ in cælum ascendere conspicit. Descendens itaque corpus sororis tunc defunctæ elatum in tumulum sibi paratum intulit, ut, quemadmodum antea fuerant coniunctissimi, sic nec corpore post mortem essent separati. *Ex 2. lib. Dial. B. Greg. c. 33.*

S.SCHO.



S. SCHOLASTICA.

S. Benedicti Abbatis soror, ab ipsa infantia Omnipotenti Deo consecrata, non procul a Cassino monte degit sanctissime ac tandem miraculis claris quiescit in pace die. X. February, adhuc superstitis S. Benedicto, qui et ipsius animam in specie columbe, caeli penetrate conspexit.

Handwritten notes on the right edge of the page:
Anno 1187
S. Benedict
III

S. PETRVS

XXIX FEB